

cavit. *Tacit. l. 3. Histor. Et Argyraspidæ*, qui Eumenem, cui quater uno anno Sacramento obstricti fuerant, Antigono prodiderunt, ut est apud *Justin. l. 14. c. 4.* Huc tamen non referenda illa est Numantinæ, Caudinæ ac Pætinæ sponsionis rescissio, quia ibi lex atq; iussum tum populi tum principis intervenerant. *Clapm. l. 5. de Arcan. c. 8. & Respublica, pactis servatis, periclitabatur.*

25. 10. Hinc & proprium tyrannorum opus est, ad inopiam redigere subditos; quia divitias resq; secundas hos reddere solere insolentiores ac ferocios morunt. Unde facultates illis paulatim, & varias per artes tollunt: quibus milites alere seq; munire in pace tanquam ad bellum, & contra subditos velut hostes armare consueverunt, ne & ipsi ad restim redacti & exhausti tyrannidi resistere possint, & nervo rerum gerendarum destituti machinari adversus eosdem quicquam audeant valeantque. *Settal. d. l. Arist. l. 5. Pol. c. 11.* Unde expilare Satagunt subditos, idq; unice agunt, ne quisquam quicquam habeat: Homi- nibusque suis ut spongijs utantur. *Conz. l. 1. Pol. 16.*

26. 11. In hunc finem etiam tyranni, tranquillandi status sui rationem haur postremam ducunt, otium pariter atque animum subditis auferre, & perpetuis gravibusque operis distractos occupare, ut lascivix atque animositati, conjurationis causæ, obex ponatur, & animi vilescens abjectique ac depressi semper maneat. Hinc tot ac tantæ Ægyptiorum Pyramides; in quarum prima extruenda, si fides Herodoto habenda, aliquot annis 10. hominum millia continuo labore distenta. Ad aliam 360000. hominum occupata, ut refert Diod. Sic. l. 1. c. 2. Eandem etiam ob causam Cypselus Corinthiorum Tyrannus summæ magnitudinis colossum excogitavit, quò de præter *Aristot.* videre est apud *Suidam & Pausaniam in Corinthiacis*, & Pisistratus Atheniensium Tyrannus famosissimum illud totoq; oriente celeberrimum templum extruxit in honorem Jovis Olympii. *Pausan. l. 1. Vitruvius l. 7. in Præfat.* Talia etiam fuere opera Poly-cratis Samij, ut scribit *Athenæus l. 12.* Pari ratione etiam Pharaos legitur Israelitas, populum valde fecundum & numerosissimum

10. Expilare subditos

11. Tollere otium Civium gravi labore.

C

gravi